Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26136
Copyright: Admont, Benediktinerstift

spiritualis enarrat. cor regis in manu dei, et quocumque voluerit convertet illud.
Siquidem hec suavissima virgo fuit cor regis eterni, id est substantia in qua Christus
ipse dominus omnium est humanatus. Convincitur ergo illud in tanta et tam in[illegible]e dicibile
sanctitate, ut nec primam similem visa sit, nec habere sequentem. Si ergo potentis-
simus deus istam speciosam et suavem in deliciis suis, sicut ab initio in balsamum,
sic in oleum letitie miscendo ac toti sanctimonie pro sua voluntate convertit, quid
tu eam conceptam vel eius conceptionem dicis amittere? An oculus tuus nequam est, quia et
ipsa sacratissima virgo et eius conceptio non modo sancta, sed et sanctissima est? Illud vero
quod corpus salvatoris oleo per aqueductum cum aqua mananti et super natanti
comparatum est, illius auctoritatis opitulatione suffragatum est, quod terra
id est homo erat inanis et vacua, id est inanis a fide vacua ab operibus, et spiritus domini fere-
batur super aquas. Quod sic exponunt, cum et alias sic locupletissimum oracu-
lum habeat significationes. Spiritus domini, id est operatio vel corpus domini in acta per spiritum
sanctum operatum ferebatur super aquas per populos ante legem et sub lege et in gratia ad sancti-
ficandam humanitatem primis in hominibus iam ante corruptam. Ferebatur ergo super
aquas, id est super omnes patres veteris testamenti, ut virginem sibi domum sibi iocundis-
simum prepararet hospicium. Et quia de tempore quo edificium sapientie initium sumpsit
iam est allegatum, nunc aliam questionem aggrediamur, si illud edificium labefactari
potuerit, quod ipsa sapientia dei in proprium corpus sibi subalterni edificavit. Sed
quis hanc domum quam deus sapientia septem propriis corporis sui columpnis, id est septem spiritibus
fulcivit, aliquo motu humani contagii obnoxiam audebit fateri, in qua
omnis mundicies omnis splendor, robur quoque celi terreque, omne adiutorium,
firmamentum omne, quicquid solidum integrumque, quicquid potentie ac for-
titudinis, quicquid vite gratie ac spei erat, corporaliter individue subsis-
tentie et unite et substantive sistebat. Sic enim spiritus sanctus in persona eiusdem
matris et genitricis domini dicit: In me est gratia omnis vite et veritatis, in me est
omnis spes vite et virtutis. Si ergo gratia plena erat, et quam angelico salu-
taret affatu, sicut nuntius ille celestis Gabriel attestatur dicens: Ave Maria
gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, quid tu illam conceptam vel eius
conceptionem qua est ipsa concepta plenitudine gratie exinanire co-
naris? Testimonium tibi perhibeo quod zelum dei habes, sed non secundum scien-
tiam. Si enim ei aliquid in parte vel aliquo in tempore gratiam subtrahas, sicut facis
dicens eius conceptionem fore non sanctam, quam gratie plenitudo Marie comprobat

Gen. Expositio potius auctoritatis.

Sap. Argumentum de gratia plena.